



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres


Continens Tractatus de Sacramentis Pœnitentiæ & Extremæ Unctionis;
necnon varia summorum Pontificum Decreta, contra Moralis corruptæ
propositiones, & alia

Genet, François

Parisiis, 1703

Decretum Super Actu Attritionis, quæ concipitur ex metu gehennæ,
excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam
in Sacramento Pœnitentiæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40817



DECRETUM

Super actu Attritionis, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ.

Sanctissimus D. N. Alexander Papa VII. cum acceperit non sine gravi animi mœrore Scholasticos quosdam acrius, nec absque fidelium scandalo inter se contendere, an illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ excludens voluntatem peccandi cum spe veniæ ad impetrandam gratiam in Sacramento Pœnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, afferentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus. Sanctitas sua enixè cupiens pacis vinculum inter fideles servari, omnemque scissuræ fomitem extinguere, auditis votis Eminentissimorum, & Reverendissimorum DD. Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, nec non DD. Consultorum, & Qualificatorum sacre Congregationis ejusdem Generalis Inquisitionis; hoc præsentis Decreto in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis latæ sententiæ huic sanctæ Sedi reservatæ, aliisque pœnis ejusdem sanctæ Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis fidelibus quocumque gradu, ac dignitate etiam Episcopali, & majori, imò & Cardinalicia fulgentibus, ut si deinceps de materia Attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel do-

cebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo pœnitentes, aut scholares, cæterosvè erudiant, non audeant alicujus Theologicæ Censuræ, alteriusvè injuriæ, aut contumeliæ notatæ alterutram sententiam, sive negantem necessitatem aliqualem dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur, sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac sancta Sede fuerit aliquid hac in re definitum. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum omnes ubique existentes arctare, & afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

FRANCISCUS RICCARDUS sanctæ
Romane & Universalis Inquisitionis
Notarius.

Loco † Sigilli.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu-
Christi 1667. Indictione quinta, die verò 7.
Maii, Pontificatus autem Sanctissimi in
Christo Patris, & D. N. D. Alexandri, di-
vina Providentia Papa VII. anno decimo-
tertio, supradictum Decretum affixum, &
publicatum fuit ad valvas Basilicæ Principis
Apostolorum, & in acie Campi Floræ, ac in
aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me
Carolus Melanum, ejusdem Sanctissimi
D. N. Papa, & Sanctissimæ Inquisitionis
Cursorum.